

Des fèves pour les lémures – p. 126

Nox ubi jam media est somnoque silentia praebet,
et canes et variae conticuistis aves,

ille memor veteris ritus timidusque deorum
surgit ; habent gemini vincula nulla pedes.

Signaque dat digitis medio cum pollice junctis,
occurrat tacito ne levis umbra sibi.

Terque manus puras fontana perluit unda,
vertitur et nigras accipit ante fabas,
aversusque jacet ; sed dum jacet, « Haec ego mitto,
his », inquit, « redimo meque meosque fabis ».

Hoc novies dicit nec respicit : umbra putatur
colligere et nullo terga vidente sequi.

Rursus aquam tangit, Temesaeaque concrepat aera,
et rogat ut tectis exeat umbra suis.

Cum dixit novies « Manes exite paterni »,
respicit, et pure sacra peracta putat.

OVIDE, *Fastes*, V, 429-444.